

CAPUT III.

DE CONTRACTIBUS CÆTERIS, IN SPECIE CONSENSUALIBUS.

Supersunt ex contractibus verbales, litterales, et consensuales. *Verbales* sunt, qui a certa verborum solemnitate substantiam capiunt. Tales olim erant tres: *dictio dotis*; *promissio operarum, muneris*, a liberto cum juramento facta; et *stipulatio*, e quibus hæc ultima solum in Romano jure remansit. Est vero stipulatio contractus unilateralis, quo quis ad alterius interrogationem congrue in continenti respondendo ad id, quod alterius interest, obligatur; ut: *spondes? dabis? facies? spondeo, dabo, faciam*. Verum cum constitutio *Leonina* verborum solemnitatem in stipulatione sustulerit; hodieque pacta nuda omnia vim stipulationis habeant, pariantque actionem civilem, non est, quod huic contractui immoremur. *Litterales* e contra sunt, qui substantiam et valorem a litteris habent. Talis vel unice, vel præcipue est in jure *contractus chirographarius*, quo quis ex spe futuræ numerationis chirographo suo fatetur, se accepisse pecuniam, quam tamen non accepit, illiusque restitutionem promittit. Ex quo contractu datur actio creditori putatio ex præsumptione numeratæ pecuniæ contra putatium debitorem, ut solvat; huic vero exceptio *non numeratæ pecuniæ*, nunc quidem a JUSTINIANO restricta ad biennium, hoc insigni cum privilegio, ut, hac exceptione opposita, creditor aliunde quam ex chirographo probare debeat, se pecuniam numerasse. Nihilominus, biennio licet lapso, probabilis debitori competit exceptio adhuc alia non privilegiata, vulgaris, ab ipso probanda, sibi pecuniam numeratam non esse; tunc enim aliarum exceptionum, quæ de se perpetuæ sunt, videtur naturam induere; ac leges, quæ id negare videntur, commode explicari possunt, de exceptione non numeratæ pecuniæ privilegiata. Sed nec hic proinde contractus longius nostram operam exposcit. Soli igitur remanent contractus *consensuales*, inde sic dicti, quod solo consensu, quomodocumque externe expresso perficiantur, suntque: *emptio venditio, locatio, conductio, societas et mandatum*; de *emphyteusi* enim, qua juris realis specie, jam actum est.

ARTICULUS I.

DE CONTRACTU EMPTIONIS VENDITIONIS.

537. *Dico I.* Emptio et venditio est contractus consensualis de re sive merce pro certo pretio tradenda. *L. pen. §. ult. ff. h. t.*

Dicitur 1º. *Consensualis*; simul enim ac de pretio rei convenit, emptio venditio perfecta est, *pr. Inst. h. t.* etsi res necdum tradita sit, nec adhucdum solutum sit pretium. Si emptor pretium solverit, huic *actio empti* competit eo ipso contra venditorem, qui est in mora tradendi rem; e contra *actio*

venditi huic contra emptorem datur, si is, re a venditore tradita, sit in mora solvendi; quanquam emptor actionem suam cum effectu contra venditorem intentare non possit antequam pretium solverit totum, *L. 18. §. 8. ff. de Act. Empt.* sed licebit venditori interim rem retinere tanquam pignus.

2º. *De re*, quæ hic rationem mercis habet. Rei autem nomine non tantum res corporales; sed etiam incorporales, ut jura, veniunt; etiam aliquando res in spe, sive sola spes, velut si quis a piscatore, aut aucupe jactum, vel tractum retis emerit, valebit emptio, ac debebitur pretium, quamvis nihil captum sit, *L. 8. §. 1. ff. de contrah. Empt.* Porro res, quæ venditur, in commercio humano esse debet, id est, capax tanquam propria possideri. Unde vendi nequeunt sine simonia res sacræ et spirituales. Item, si quis liberum hominem venderit ad triennium, in manus hostium, capitale plagii crimen contrahit, *L. 1. ff. et C. ad L. Fab.*

3º. *Pro certo pretio*, scilicet pecuniario, sive pecunia numerata, §. 2. *Inst. h. t.* si enim res detur pro re, erit *permutatio*, *L. 1. ff. de contrah. Empt.* Pretium vero debet esse *justum*, ne æqualitas lædatur et jus naturale; *justum* autem pretium duplex est, legitimum et naturale. *Legitimum* dicitur, quod lege principis, vel magistratus est publica ordinatione definitum, et proin est *indivisibile*, ac servandum ab omnibus, etiam status ecclesiastici; cum hæc taxatio non sit contra immunitatem ecclesiasticam, et observantia ejus sit necessaria ad contractuum æqualitatem, commerciorum exercitium, et avendum damnum cæterorum Reipublicæ membrorum. *Naturale* est, quod provenit ex ipsis rerum naturis, spectata etiam rei raritate, hominum affectu, aliisque circumstantiis juxta prudentem æstimationem. Et quia hominum judicia raro circa idem conveniunt, pretium hoc est *divisibile*; ac pretium naturale *justum* triplex est, summum, medium, infimum. Exemplo sit: pretium medium *justum* est 100. igitur pretium summum *justum* erit 105. infimum 95. ac si quid proinde exigatur ab emptore ultra 105. in dato casu; vel ematur a venditore infra 95. committetur injustitia. Unde jus læso infra dimidium justii pretii dat actionem, *L. 2. C. de Rescind. Vend.* vi cujus potest petere, vel ut contractus rescindatur omnino, vel reducatur ad æqualitatem. Si emptor sit læsus ob vitium rei in substantia; vel licet circa qualitatem, tale tamen, quod facile deprehendi non potuit, ac cujus absentia emptor alligavit consensum, competit ei actio tum ex *adilitio edicto* in ordine ad rescindendum contractum; tum *redhibitoria*, ut venditor iterum habeat rem, emptori autem restituat pretium et interesse, *L. 21. et seqq. ff. de ædil. Edict. L. 13. ff. de Act. empt.* tum *æstimatoria quanti minoris*, qua non intenditur ipsius contractus rescissio, sed ut res ad æqualitatem reducatur, et venditor tantum remittat de pretio, quanto minoris valet res ob vitium. Notandum tamen, quod *æstimatoria* sex tantum duret mensibus; *redhibitoria* anno utili, quo lapso spatio temporis utraque negatur in judicio ad præcedendam litium copiam.

538. *Dico II.* Venditor, contractu emptionis venditionis perfecto, probabilis tenetur rem *præcise* ipsam cum fructibus tam pendentibus, quam post contractum perceptis, omnibusque accessionibus atque aliis ad rem emptam pertinentibus emptori tradere: nec sufficit loco rei conventæ

solum præstare interesse. Est communior Theologorum ac Jurisconsultorum sententia contra FACHIN. MYNSING.

*Prob. Ex §. 1. Inst. h. t. ubi ait Imperator : Et pretium persolvatur et res tradatur. Præterea L. 41. §. 2. ff. de Act. empt. clare dicitur : Ipsam rem præstare venditorem oportet. Deinde L. 1. ff. ad Leg. Cornel. de fals. qui duobus rem eandem diversis contractibus vendidit, pœna falsi coercetur ; ergo supponit lex, hunc injuste egisse, qui secundo rem eandem vendidit, et egisse contra obligationem suam, quod primo emptori non tradiderit. Accedit ratio ; nam emptor obligatur determinate ad solvendum pretium venditori rem offerenti, ideo quia de hoc inter illos conventum fuit ; ergo etiam venditor determinate obligatur ad tradendam rem, quia non minus inter eos conventum est de tradenda re ; ac ne alias emptoris conditio fiat deterior, et lædatur æqualitas. Quoad *accessiones* per se patet ; quia accessoria sequuntur suum principale ; de iis, quæ ad rem pertinent, vulgo *pertinentiis* constat ex L. 41. §. 17. ff. de Act. empt. Pertinentiarum autem nomine venit quidquid vel ad rei venditæ usum perpetuo destinatum est, vel habetur pro parte, vel quod rei venditæ infixum est. Sic inter adperten- tias ædium est puteus, canalis, seræ, claves, etc. Castrorum, oppidorum, feudorum, territorium, hortus contiguus, jurisdictio, jura venandi, etc. iis cohærentia.*

539. *Obj. I.* In obligationibus faciendi sive facti, explorati juris est, quod sufficiat præstare id, quod interest, per L. 72. §. Celsus. ff. de V. O. : atqui venditor habet obligationem facti, scilicet traditionis ; hæc enim est facti. *II.* Per L. 25. ff. de contrah. empt. qui vendidit, necesse non habet fundum emptoris facere, ut cogitur, qui fundum stipulantis spondit ; ergo necesse haud est rem tradere, ac tradendo transferre dominium. *III.* Per L. 1. ff. de Act. empt. si res vendita non tradatur, in id, quod interest, agitur ; ergo sufficit præstare solum interesse. *IV.* Actualis traditio rei se habet solum respectu contractus emptionis per modum complementi, quod ipsam essentiam supponit ; ergo nihil peccabitur contra naturam contractus, etiamsi non sequatur rei conditio.

Ad 1^{um}. R. D. M. In obligationibus facti nudi, vel simplicis, dum factum principaliter aut ultimo tanquam finis intenditur, velut alicujus opera in ædificando *T.* quia teste PICHLERO hic, non pauci Canonistæ etiam hoc negant, nisi c. 1. de Pact. In obligationibus non meri facti, sed simul juris, sive facti, ut dicitur, *prægnantis et habentis causam* ; aut quando factum intenditur tanquam medium *N.* Sed traditio rei venditæ est simul juris, et medium, quia continet, et quia intenditur vel ad translationem domini, vel conditionis usucapiendi.

Ad 2^{um}. R. Ibi sermo est de fundo alieno vendito, quem quidem venditor tenetur per se tradere, sed non facere emptoris, id est, si evincatur, non tenetur eum comparare, et tradere cum translatione domini : casus enim evictionis exceptus est, in quo solum ad interesse tenetur.

Ad 3^{um}. R. L. cit. loquitur de casu, quo res empta ob moram venditoris tradi non amplius potest, vel quia interiiit ; vel quia evicta est a domino legitimo ; vel quia secundo emptori jam tradita est, quo casu venditor utique non nisi ad interesse tenetur. Eodem sensu exponi debent leges similes,

L. 4. 41. C. de Act. empt. L. 12. ff. eod. ut concordent textibus claris supra allatis. Sic etiam in mutuo se habet, ubi admittenda est æstimatio, quando scilicet res credita in eodem genere vel qualitate haberi non potest, num. 504. Reg. II.

Ad 4^{um}. R. N. Cons. Etsi enim traditio rei actualis sit contractus hujus non nisi complementum et velut consummatio, consensus in traditionem ipsius rei est de contractus hujus essentia ; igitur ad rem ipsam tradendam ex conventionem tenetur.

540. *Dico III.* Tenetur etiam regulariter venditor emptori de evictione, si res vendita in judicio vel tota, vel ex parte evicta fuerit a domino. Est communis et certa ex variis legibus.

Nec refert quidem, quod de evictione præstanda specialiter conventum non sit, C. L. 1. ff. L. 6. c. de Evict. Evictio vero est rei suæ legitima per sententiam judicis recuperatio ; ac *teneri de evictione*, est teneri ad id, quod interest emptoris, rem evictam non esse ; ac proinde venditor præter mercis pretium emptori tenetur ad præstandum totum interesse damni emergentis, lucri cessantis, expensas omnes, quas emptor in rem emptam ac litem fecit, L. 50. ff. de Evict. L. 43. ff. de Act. empt.

Dixi vero : *regulariter* ; excipitur enim, et cessat præstandæ evictionis obligatio, 1^o. Si res evicta sit culpa emptoris, velut si sciens rem alienam emerit, nec tamen sibi tunc de evictione caverit, quo casu ne pretium quidem repeti potest, L. 27. C. h. t. Si debite dominum non *laudaverit*, hoc est, post motam litem non monuerit auctorem sive venditorem ut liti assistat, L. 29. ff. L. 8. et 9. C. h. t. Si contumax non comparuerit in judicio, ideoque condemnatus ad rem reddendam actori ; appellationem omiserit, etc., L. 31. 27. 29. ff. h. t. 2^o. Si emptor transegerit, vel liti renunciaverit, L. 17. C. h. t. Si res perierit casu, L. 41. 21. ff. L. 26. C. h. t. 3^o. Si emptor non jure, sed vel injusta sententia, vel vi re empta expulsus sit, L. 31. pr. ff. L. 8. et 15. C. h. t. L. ult. C. de Act. empt. 4^o. Si universitate per aversionem vendita res quædam singulares evincantur, L. 1. C. h. t. 5^o. Si res sit evicta ex privilegio, velut restitutionis in integrum, retractus, si nimirum sciverit emptor, vel scire debuisset, hæc quibusdam competere ; tunc enim sibi imputet. Aliud foret, si cui competeret jus retractus ex sola conventionem, emptore id ignorante, quin tamen de hoc eum moneret venditor ; hoc enim casu culpa in venditore hæret. 6^o. Demum si venditor specialim pactus sit, se ad præstandam evictionem teneri nolle ; eo enim casu etsi probabilius sit, eum quidem ad restituendum adhuc pretium teneri, poscente ita æquitate ; non tamen ad id, quod emptoris alias interest, tenetur, nisi sciens rem esse alienam ignoranti hoc emptori vendiderit, L. 41. §. ult. ff. de evict.

541. *Dico IV.* Commodum, et incommodum, sive periculum rei in specie et perfecte venditæ, etsi nondum traditæ, penes emptorem est.

Per *commodum* vero omnis utilitas et lucrum rei venditæ accedens ; per *periculum* contra damnum, vel ipse rei venditæ interitus, casu fortuito obtingens intelligitur. Ac quidem quoad commodum, sive fructus pendentes tempore contractus nulla est controversia, etsi quoad postea natos quidam

cum MOLINA dissentiant; licet, ut nobis videtur, immerito; cum enim leges commodum in emptorem transferentes inter fructus non distinguant, ut §. 3. *Inst. h. t. L. 7. ff. de peric. et commod. L. 13. §. 10. ff. et L. 13. 16. C. de Act. empt.* sitque eadem pro utrisque ratio, communis sententia et melius fructus omnes emptori tribuit. Igitur quoad 2. p. de periculo contra GROTIUM, CUJACIUM

Prob. I. Contractu emptionis venditionis perfecto omne commodum ad emptorem pertinet, ac quidquid etiam per alluvionem rei emptæ accessit, *L. 7. ff. de peric. et comm. rei vend.* ut fœtus pecorum, partus ancillarum *L. pen. C. de Act. empt.* Venditor omnes actiones sibi, utpote domino adhuc, ratione rei competentes emptori tenetur cedere, §. 3. *Inst. de empt. vend.* Sed quem sequuntur alicujus rei commoda, ad eum incommoda quoque pertinere debent, *L. 10. ff. de R. J.*

Prob. II. Venditor est debitor certæ speciei, quia debet emptori hanc in specie rem, velut domum, equum; sed debitor certæ speciei liberatur per hujus interitum casu fortuito contingentem, *L. 23. ff. de V. O. L. 5. ff. de reb. cred.* Accedunt leges innumeræ, periculum emptoris esse textibus asserentes claris, ut *L. 7. ff. de peric. et comm. cit. §. 3. Inst. h. t. L. 35. §. 4. ff. de contrah. empt. L. 13. §. 22. ff. de Act. empt.* ubi venditor servi non tantum pretium, sed etiam sumptus in servi funus, si mortuus est, ab emptore consequitur; ergo.

Dictum vero 1^o. rei in specie venditæ; si enim res in genere esset vendita, ut 10. oves ex universo grege, tunc periculum penes venditorem remanet, ac pereuntibus 10. tenetur substituere totidem alias, quia genus non perit.

2^o. Et perfecte sive absolute venditæ, ante enim quam perfectus sit contractus, periculum regulariter venditoris est. Unde 1^o. in venditione conditionata non prius transit in emptorem periculum, quam existente conditione, *L. 8. pr. ff. h. t. 2^o.* Si de contractu emptionis venditionis in scriptura conficiendo convenerit, non transit prius periculum, quam fuerit subscriptum, §. 3. *Inst. h. t. L. 4. C. h. t. 3^o.* Si quid ad mensuram, numerum, pondus sit venditum, non transit periculum a venditore, nisi re admensa, numerata, appensa, *L. 35. §. 5. ff. de contrah. empt.* Quia videlicet in venditione rerum ejusmodi fungibilium semper subest illa conditio, si fuerit facta mensuratio, numeratio, ponderatio; igitur sicut alia conditionata emptio non est perfecta, nec transfert in emptorem periculum, ita neque hæc. Aliud foret, si res in numero, pondere, mensura consistens, non ad numerum, pondus, vel mensuram, sed ex integro per aversionem ematur pretio uno, ut totus grex, totum vini dolium, quidquid frumenti est in granario vel agro; tunc enim quantitas redacta esset ad speciem, periculumque esset penes emptorem. 4^o. Næc transit periculum in alternativa speciei venditione, ut si venditus sit Stichus, aut Pamphilus; tunc enim, si mortuus prius Stichus, soli id venditori nocet, et adhuc emptori præstari debet Pamphilus; si vero et hic sit mortuus, emptori nocet, ac venditori tenetur præstare pretium, *L. 34. ff. de contrah. empt.* Et ratio est; quia, pereunte tantum primo, potest, et tenetur venditor adhuc secundum præstare viventem, cum verum sit, nondum totum id, quod emerat emptor, periisse. 5^o. Si res ad solum gustum, ut vini, vel solam explorationem, ut equi, vendita, *L. 1. 4. 13. ff. h. t.* nec enim hæc perfecta, sed conditionata venditio est. Si res ad gu-

stum, et mensuram simul vendita, velut si dicat simul emptor: *Et pro singulis mensuris dabo sex solidos*; adhuc enim conditionata erit venditio: si mensura sequatur; ac tunc res venditori peribit: nisi in his mora emptoris in re accipienda, gustanda intervenerit, conjuncta cum dolo, vel culpa lata, *L. 5. 17. ff. h. t. 6^o.* Demum si, re licet perfecte vendita, ita conventum sit, ut periculum penes venditorem sit, *L. 1. pr. ff. h. t.* vel si venditor in mora fuerit culpabili, quo minus res, quæ periit, traderetur: si dolo, vel etiam culpa levi venditoris pereat, aut deterioretur: si res vendita ante traditionem confiscetur ex delicto venditoris: si res periit vitio, quod traxerat ante contractum. *t. t. ff. et C. de peric. et comm. rei vend.*

342. *Obj. I.* Res perit suo domino, arg. *L. 9. C. de pignor. act.* ubi pignus creditori traditum, casu fortuito periens, perit debitori qua domino; sed venditor rei emptæ ante traditionem manet dominus, §. 3. *Inst. de Empt. Vend.*; ergo.

R. D. M. Nisi dominus ejusdem rei in specie sit debitor *C.* si sit ejus debitor *N.* Tunc enim, si sine domini culpa res pereat casu fortuito, liberatur dominus debitor a præstanda re, eaque creditori, cui erat debita, perit; oblinetque tunc regula alia, quæ est a priori in *Maj.* exceptio, quod debitor certæ speciei, ejus per casum fortuitum interitu liberetur per *L. 23. ff. de V. O. L. pen. ff. de solut. L. 1. §. ult. ff. de peric. et comm. rei Vend.* Quoad pignus est disparitas; quia debitor non debet creditori pignus, proinde non est debitor speciei, sed solum pecuniæ, dato pignore in securitatem debiti. Deinde omnis utilitas et fructus pignoris ad debitorem spectat; unde et periculum sustinet: contra vero utilitas omnis et fructus rei emptæ ad emptorem pertinet; merito igitur hujus simul periculum est.

Inst. 1. Domus elocata perit locatori; ergo et domus vendita venditori: ideo enim primum; quia locator ædium dominus est, *L. 15. ff. Locati.* sed etiam venditor rei venditæ, et nondum traditæ dominus est; ergo.

R. C. A. N. Cons. Ad prob. D. Ideo præcise, quia locator est dominus *N.* simul ideo, quia non est debitor certæ speciei, sicut est venditor, et quia omne quoque ad locatorem pertinet *C.* Unde et patet *disparitas*; nec enim locator est debitor certæ speciei, non enim debet ædes locatas, vel fundum locatum, sed tantum eorum fructus et usum; fructus autem sunt incerti, an, et in qua quantitate nascituri sint, ut proin certa species dici non possint, cum demonstrari oculis nequeant, sed in conventionem ponitur merces quedam proportionata secundum ordinariam agri fertilitatem, quæ quo magis eo anno decreseit, tanto plus mercedis remitti æquum est. Sed nec usus est res certæ speciei, sed duntaxat factum aliquod.

Inst. 2. Pretium, si perit ante solutionem, emptori perit soli; ergo etiam rem ante traditionem soli venditori perire æquum est.

R. C. A. N. Cons. Disparitas est; quia pretium, quod debet emptor, est pecunia indeterminate quoad speciem, e. g. 100. hinc non est *per se* debitor certæ speciei, sicut venditor, sed tantum generis; genus autem non perit, *L. 11. C. si certum pet.*

Inst. 3. Per *L. 14. ff. de peric. et comm. rei vend.* materia vendita et tradita emptoris esse periculo dicitur, si furto periisset; sin minus, venditoris; ergo ante traditionem periculum venditoris est, licet sit debitor speciei.

R. Legem loqui de re in genere vendita, materia vel trabibus; tunc vero venditoris esse periculum ante traditionem, supra jam excepiimus.

Si vero incidenter roges, quomodo verba finalia *L. cit.* quibus dicitur, *videri trabes traditas, quas emptor signasset*, concordent cum *L. 1. pr. et 2. ff. eod.* ubi signatio dolii nondum traditionem inducit?

R. Nullam hic contradictionem esse; sed *disparitas* est, quod in vino vendito ante mensurationem venditio nondum sit perfecta, adeoque *signatio* traditionem operari non possit; sed in hoc casu ideo potius fit signatio, ne dolium submutetur. E contra venditio rei in genere statim perfecta est, licet periculum nondum sit emptoris, antequam res certa sit electa et tradita; signatio igitur ab emptore facta, puta, trabium, pro traditione habetur; cum per signationem certas eligerim trabes, quas mihi proin pro traditis esse volo; quia hæc signatio alium finem habere non potest.

Inst. 4. Per vulgatam alias regulam, in contractibus bonæ fidei nemo tenetur ad præstandum casum fortuitum, *L. 6. C. de pign. act.*; ergo hic emptori nocere non potest.

R. C. A. N. Cons. Contrarium enim inferendum erat: ergo non nocet venditori; hæc enim regula, ut omnes norunt, debitorem attinet: sed venditor est rei venditæ debitor; ergo huic nocere non debet rei in specie debita interitus.

543. *Obj. II. 1º.* Juxta *L. fin. ff. de condict. caus. dat.* si dederò tibi pecuniam, ut mihi Stichum dares, et Stichus perierit ante traditionem, possum repetere pecuniam: atqui tamen hic res erat in specie vendita, ac periculum penes venditorem fuit. 2º. *L. 12. 13. 14. ff. de peric. et comm. rei vend.* ponitur casus, quo Titius emit lectos, quos venditor exposuit in via publica; Ædilis vero, qui viarum publicarum gerebat curam, eos concidit, diciturque, quod si lecti nondum fuissent traditi, neque emptor in mora fuerit, quo minus traderentur, venditoris esse periculum, *L. 11. eod.* si vero traditi essent, aut emptor fuerit in mora, tunc emptori eos perire; ergo. 3º. Per *L. 13. §. 8. et seq. ff. de Act. empt.* fructus ad emptorem non aliter pertinent, quam si et ipse pretium omne persolvit; et vero alias fructibus et pretii commodo simul frueretur, hoc vero privaretur venditor, quod videtur iniquum; ergo saltem emptori non debentur fructus, quando nondum dedit pretium.

Ad 1ºm. *R. C. M. N. min.* Non enim in hac lege casus emptionis venditionis, sed contractus innominati, *do, ut des,* proponitur; quia *dedit* pecuniam, ut alter mihi *daret* Stichum, id est, dominium Stichi in me transferret (*dare* enim, phrasi juris proprie significat dominium transferre, *L. 75. §. ult. ff. de V. O.* ubi: *Hæc stipulatio fundum Tusculanum dari ostendit se certi esse, continetque, ut dominium omnimodo efficiatur*) in venditione vero non requiritur, ut venditor in emptorem transferat rei venditæ dominium; sed sufficit possessionis, ac conditionis usucapiendi translatio: in contractibus vero innominatis, si una pars jam implevit contractum, hæc contra alteram habet actionem præscriptis verbis, ut quoque altera impleat contractum, vel præstet interesse; secundo si pars altera culpa sua contractum non impleat, potest pars, quæ implevit per conditionem *causa data, causa non secuta* repetere rem præstitam; ac tertio, si pars altera sine sua culpa

non impleat, velut in *cit. L.* quia servus fuit mortuus, competit implenti contractum *condictio ex pœnitentia* ad rem datam repetendam.

Si dicas: Dum in *L. 3. §. 1. ff. de præscr. verb.* dicitur: *Si pecuniam dederò, ut rem accipiam, emptio venditio est*; ergo et talis est in *cit. L. fin. 2º.* in *L. 3. cit.* ponitur contractus innominatus: si scyphos dederò, ut mihi Stichum dares, ac dicitur, quod Stichus meo sit periculo; ergo cum in *L. fin.* Stichus, pro quo dedi pecuniam, non sit meo periculo, signum est, ibi non contractum innominatum, sed emptionem venditionem esse.

Ad 1ºm. part. R. C. A. N. Cons. In priore casu emptio venditio est, quia *accipere* non significat dominium transferre, sed tantum, ut mihi tradatur Stichus, quod ad emptionem venditionem sufficit; in altero vero contractus innominatus est; quia dedi, ut mihi daretur servus, hoc est, ejus dominium consequeretur.

Ad 2ºm. part. R. N. Cons. Quia dum in *L. 3. Stichus meo esse periculo* dicitur, sensus est, quod non possim intentare *condictionem causa data, causa non secuta*, quia, ex dictis, hæc tantum competit, si pars altera culpa sua contractum non impleat; in *L. fin.* autem, dum dicitur, quod pecuniam repetere possim, sermo est de *condictione ex pœnitentia*, qua, licet sine alterius culpa res non fuit præstita, utpote quia mortuus servus, possum pecuniam repetere.

Ad 2ºm. *R.* Ibi merito res venditori periit, quia hic erat in culpa, quod lectos in via publica exposuerit.

Si dicas: *L. 13. eod.* emptor habet actionem legis Aquiliæ contra Ædilem hunc; vel potest contra venditorem agere ex empto ad cedendam sibi actionem contra Ædilem, qui injuria lectos concidit; ergo signum est, quod venditor non fuerit in culpa; alias enim hic actionem ad resarciendum damnum injuria datum contra Ædilem non haberet.

R. N. Cons. Quia uterque tam Ædilis, quam venditor in culpa fuit; Ædilis, quia non juste lectos concidit; excesserat enim modum, cum potuisset lectos amovere ex via, nec debuisset eos continuo concidere; et ideo contra eum datur actio legis Aquiliæ venditori qua domino, qui eam cedere debet emptori: venditor quoque in culpa fuit, quia lectos exposuerat in via publica; ideoque concisio eatenus venditori nocet, ut non possit ab emptore exigere pretium.

Ad 3ºm. *R.* Ex his legibus id solum evincitur, quod interea, dum pretium solvat emptor, pignoris loco possit venditor cum re detinere fructus, restituendos emptori, si solverit. Quod si res jam tradita fuerit, ne venditor damnum subeat, satis cautum est per hoc, quod emptor, moram in solvendo faciens, obligetur venditori ad compensandum damnum ex dilatione solutionis proveniens. Cæteræ demum leges, quæ videntur innuere, periculum venditoris esse, intelligendæ sunt vel de venditore, qui non est debitor certæ speciei, vel de emptione venditione non perfecta et absoluta.